

# **De trismo neonatorum dissertatio inauguralis / [Joseph Ghisio].**

## **Contributors**

Ghisio, Joseph.  
Platner, C.  
Università di Pavia.

## **Publication/Creation**

Pavia : Fusi, 1832.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/sxn29ejg>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE TRISMO NEONATORUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU MAGNIFICI D. RECTORIS  
PERILLUSTRIS FACULTATIS DIRECTORIS  
SPECTABILIS DECANI NEC NON CL. D. D. PROFESSORUM

AUSPICE

CAMILLO PLATNER

MEDIC. LEGAL. ET POLIT. MED. PROF. ORD.

PRO

DOCTORIS MEDIC. LAUREA RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA

C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

*Mense Septembris 1832.*

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS  
PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

**JOSEPH GHISIO**

EX PAPIA.

CHIRURGIAE DOCTOR  
ATQUE ARTIS OBSTETRICÆ MAGISTER

---

TICINI REGII.

*Typis Fusi et Socii,*

313944





---

*Definitio, et denominatio morbi.*

---

**T**rismus (capistrum, tortura oris, a *τρίδω*, strideo) nominatur in genere morbus per spasmum tonicum maxillae inferioris sese manifestans, sub quo vel maxilla inferior superiori fortiter adnectitur, quod *agglutinatio maxillae inferioris* appellatur, vel ore aperto, hoc non claudi potest, quod *divariatio maxillae inferioris* vocatur. Saepissime initium, et comes tetani.

Trismus neonatorum autem (Italis *trismo dei neonati*, Gallis *la sarette*) est species tetani, qua praecipue maxilla inferior spasmotónico musculorum in locum fixum detinetur atque per aetatem, et clima singularem modificationem, et magnam atrocitatem acquirit.

Morbus hic tenerrimae aetati infensissimus, intensitate et duratione in variis regionibus differt, licet et multum ab aetate dependeat. Regiones tropicae Asiae, Africae,



Americae, uti India orientalis et occidentalis, Insulae Antillarum, Barbados, s. Domingo, Cayennae huic morbo summopere sunt obnoxiae; qui ibidem endemice regnans omni anno haud parvum neonatorum numerum e medio tollit, siquidem subito talem vehementiam acquirit, ut infans vix natus post sex, aut octo horas jam moriatur. In regionibus Europae calidioribus etiam sat magna saevitate endemice grassatur uti in Hispania, Insula Minorca, Tergesti, nonnullis regionibus Hungariae, atque, quamquam morbi decursus sit lentior, atque vehementia minor, tamen vix non semper lethalis evadit. Sporadice ubicunque observatur licet in genere sit morbus rarior.

Tempus, quo infantes hocce morbo corripuntur, varium observabatur; nonnumquam jam primis vitae horis, praecipue ubi endemice regnat, atque ibidem raro post decimam quartam a nativitate diem. Ubi vero sporadicus sit rarius primis vitae diebus occurrit, sed quum a causis determinatis dependeat, his agentibus comparet, rarius tamen post annum.

Duratio morbi valdopere variat. In regionibus tropealibus vix accedens jam lethalis, ut morbus vix spatium sex aut octo horarum percurrat; quo magis a zona torrida distat,



eo mitior decursus atque saepius octo, quatuordecim dies, sed rarius ultra perdurat.

#### SYMPTOMATA ET DECURSUS.

##### *Prodroma.*

Morbus sequentibus symptomatibus sese enunciat. Infantes inquieti redduntur, vagitus frequentior est, ac voce sublimi, forti, sibilante editur; sugere cupiunt, attamen jam suctionis difficilioris indicia adsunt, dumque sugunt, lac tussicula et singultu per nares reddunt, caput jactitant, artus distrahunt, corpusque diverso modo contorquent, color cutis in flavum vergit, praecipue albugineae, facies fit pallida, saepiusque coerulescens, nonnumquam fugax insolitusque rubor faciem modo omnem, modo dimidiam tingit, oculi sunt torvi, inquieti, volubiliores, aut luscitantes, sub somno semiclausi, bulbo sursum tracto, ita quidem, ut albuginea tantum conspiciatur, nictitatio saepius recurrens, lacrimarum secretio adaucta, musculi faciei, et labiorum in motu tremulo continuo versantur, ipsa facies, et praecipue labia quidquam tumidula, motus maxillae inferioris non liber, atque ubi os exploratur, aegre maxilla digito cedit; lingua sicca, spurca, ejusque apex



rubescens, tota cavitas oris ferme semper aphtis obsessa, respiratio ab initio est lenta, et aequabilis, postea fit brevis, anxiosa, spastica, gemebunda, admixto singultu, abdomen sensibile, tumescens, tensum, alvus segnis, urina nunc multa, et magis aquosa, quam aetati convenit, mittitur, alias spasticarum affectionum praenuntia, nunc parca, ejusdem indolis, ac nonnumquam excretio per plures horas penitus supprimitur; pulsus ab initio fere tardior, sequentibus diebus celerior; somnus interruptus, levis, saepius sub somno observatur subrisus, repentina evigilatio cum clamore conjuncta.

Quamquam ex symptomatibus hucusque recensitis morbum periculosissimum imminentem ab alio morbo spastico tantum dignoscamus, tamen eo major attentio nostra in eum dirigenda erit, quum hucusque tantum in hoc stadio nobis possibile sit morbum imminentem suppressere. Nonnumquam vero absque prodromis morbus in infantes clandestine obrepere, atque vix signa ejus adventus perluculentas, gravioresque corporis convulsiones dare solet, sed subito vera sua forma ingruit, quod praecipue frequenter observatur in regionibus ubi endemice regnat.

Symptomata enumerata vix remittunt, eo minus intermittunt, sed frequentissime sen-



sim sensimque increscunt et in morbum formatum transeunt.

*Imago morbi evoluti.*

Progrediente morbo mobilitas maxillae inferioris ex toto evanescit, ut haec nec vi majori mechanica sine motu totius capitis detrahi, nec sursum tolli possit; saepius superiori adeo adstringitur ut cum difficultate manubrium cochlearis in os immitti possit; sed non semper maxilla inferior superiori proxime adhaeret, verum nonnumquam aliquod linearum spatium superest, ita ut os semiapertum conspiciatur, imo et penitus interdum dehiscat; musculus masseter maxillam attrahens duritiae lignum aemulatur, suctus per motum maxillae impeditus, et per spasmos linguae, impossibilis, sicuti et deglutitio ob spasmos pharyngis et aesophagi. Facies coeruleo-rubescens, turgescens, cum maculis profunde rubris, mox per reliquum corpus sese extendentibus, notata, vix rubescens uno fere momento iterum pallescit atque collabitur. Oculi ab initio sunt immobiles, fixi, splendentes, protrusi, quasi inflammati vel motu clonico sat vehementi per orbitam rotantur, pupillam dilatatam offerunt, serius in orbitam magis retrahuntur, splen-



dorem amittunt, atque sat larga quantitas materiae sebaceae et mucii illis adhaeret; e naribus antea siccis proluvies quaedam lenta stillat, labia sunt tremula, caerulescentia. Vox acutior, deinde rauca, tandem in obscurum murmur transit, serius penitus intercipitur, quod fit aliquot dies ante mortem. Ex ore effluit materia mucoso-spumosa, sat larga quantitate, respiratio stertorosa fit, anhelans, celer, suspiriis intercepta, laboriosissima. Abdomen et praecordia tument, et dolent, alvus ab initio tarda, aridis reliquiis meconii mixta, cum nisu vehementi, spasticoque conjuncta, postea redditur liquida, viridescens, spumosa, foetorem intollerabilem spargens, nonnumquam et vomitus sequitur materiae viridantis, acris, foetentis: urina linteamina colore croceo tingit, modo enuresis, modo ischuria. Ad superiora oritur sudor frigidus: juncturae artuum incurvae contractaeque sunt, extremitates ipsae tumescunt livescunt, et frigescunt, simulque duriores redduntur, quandoque sensim sensimque colum totusque truncus tetano obrigescunt, praecipue sub exacerbationibus mali. Ante vitae finem status paralyseos sese manifestat. Resolutis colli musculis caput nutat, concursus et vicissitudo quaedam spasmodum et paralygium in musculis faciei observatur,



adest dentium stridor, maxillis nihilominus consertis; ore hiante dentes prominent, labia spumosa, distortaque sunt, livent, caput profuse sudat, abdomen intumescit; inter haec stupidi, et soporosi jacent infantes, donec aut sub convulsionis cujusdam paroxysmo suffocentur aut inter lentum respirationis et stertoris decrementum et spasticos pectoris motus moriantur.

Celeberrimus Petrus Frank sequentem imaginem de Trismo neonatorum Tergesti endemico, e littera celeb. protomedici Tergestini doctoris Reuss desumptam statuit: „Post tertium a nativitate diem hic morbus foetum, etsi partu prospero, ac sine ullo morbi aut labis organicae vestigio in lucem editum, etsi bono colore praeditum, voce sonora vagientem, ubera cum sapore sugentem, et meconium sat abunde egerentem, invadit. Prodromum hujus mali signum, plumbei coloris circa labia circulus. Mox voce miseri privantur, ubera cum aviditate querunt, sed ob oris constrictionem sugere impediti, pauculum illud lactis, quod nutrix instillat, libere ad stomachum deducunt „

„Post praevia haec symptomata, augetur sensim sensimque pusionum debilitas, vagitus in lamenta permutantur, tremor aliquis eorum ad artus suboritur, extremitates tume-



fiunt, livescunt, frigidae ac duriores redduntur; donec octava circiter morbi die, cum stertore respirantes moriantur convulsi „.

### *Aetiologia.*

Causarum, quae dirum hunc morbum in neonatis producere solent, perlonga series ab auctoribus medicis enumeratur, et singulae revera saepe morbo excitando ansam praebere valent. Quae vero sit interna relatio organismi infantilis producendo huic morbo idonea, quaeque causam proximam illius sistat, et qua ratione ipsum provocet, non secus quam aliorum morborum causam proximam ejusque agendi modum ignoramus, licet et medici celeberrimi indefesso labore adnisi fuerint, ut hanc indagare, et caliginem, qua hucusque oblecta est, dissipare possent. — Eo minus nobis spes affulget, fore ut aliquid plus de ea innotescat, quum systema nervosum, qua sedem hujus morbi, non obstantibus maximorum in arte medica virorum laboribus in functione sua, et agendi modo parum cognoscamus.

Sufficiens momentum ad morbum disponens in teneritudine organorum, et adaucta receptivitate systematis nervosi invenimus, quum vix ex sinu materno egressi infantes



non sufficientem resistantiam influxibus nocivis externis opponere valeant; receptivitas adaucta systematis nervosi sub vivida organismi evolutione eadem ratione supprimitur, qua irritabilitas, excurrente vita, magis, magisque manifestatur. Quo tenerior igitur, et quo majori receptivitate praeditus est infans, eo magis in hunc morbum inclinat. Observatio ipsa nobis id clare demonstrat; nam infantes primis vitae diebus frequentius hoc morbo corripuntur, et eo rarius quo magis aetate increscunt. Etiam dispositio haereditaria, praecipue a matre acquisita in infantibus praesens, hos in hunc morbum valdopere proclives reddit. Cognoscitur dispositio haec infantis per corporis structuram justo teneriorem, musculorum gracilitatem, ossium tenuitatem, mollitiem partium carnosarum, quae omnia similem teneritudinem in nervorum textura indicare videntur. Causae morbi excitantes ab auctoribus variis variae proferuntur, et inter praecipuas, sequentes memoratu digniores nobis videntur. *Refrigerium* saepe qua causa unica hujus morbi observabatur. Inde explicare possumus, cur tam frequens sit in regionibus australibus, quae mutationibus temperiei atmosphaericae summo opere obnoxiae sunt, et ubi infans vix natus calorem diei cum frigore noctis alterna-



tum haud innocue perferre valet; inde et explicare possumus, cur et apud nos occurrat in infantibus qui temperiei vicissitudinibus exponuntur: quemadmodum evenit quando stragulis tepidis atque cubiculo moderate calido retinentur et paulo post in aerem liberum transferuntur. *Sordes gastricae* in infantulo, aut jam ante nativitatem praesentes, aut postea generatae, saepius morbum hunc causant, sicuti meconium magna copia non evacuatum, lac maternum aut nutricum corruptum in ventriculo haerens, acidum primarum viarum, bilis praeter normam accumulata, aut morbose degenerata. Ipse purgantium abusus statim post nativitatem ad evacuandum meconium adhibitorum, morbi hujus genesi favere videtur. *Animi pathemata* matris vel nutricis in infantem, per paulo post illi porrecta ubera, magnas tubi intestinalis turbas, et inde trisimum provocasse, saepe medicorum observationibus confirmatum est. Huc referunt praecipue gaudium excedens, timor, moestitia, ira, terror, uti Swieten nos sequentibus docet: si summa excandescit ira nutrix, et imprudens dat ubera infanti, convellitur illico tenellus (uti tot observata docuerunt), dum nutrix defervescente hoc brevi furore nihil mali patitur. Licet ergo illa mutatio per validum animi



affectum in humoribus nutricis nata, jam firmiter aetate sensorium commune nutricis ipsius turbare nequeat, attamen pauculum lactis ab iratae illius uberibus ductum, tenerum, et mobile infantis corpusculum tam misere afficit. *Inflammationes, vulnerationes, et compressiones* partium diversarum saepius qua causae trisum excitantes notabantur. Nonnulli inflammationem umbilici ex nimia ejus constrictione productam, veluti causam hujus morbi agnoscunt; alii ex pravo obstetricum more frenulum linguae lacerandi, ortum illius sibi explicant; non minus frequens trismi causa in nimia compressione abdominis a fasciis illata sistere videtur. Quamquam saepius evolutionem hujus morbi ex causis nunc recensitis derivare debemus: attamen non semper nobis sufficientes videntur. Etenim in regionibus ubi endemice regnat trismus, saepius infantes ab omnibus nocentibus influxibus removentur; nihilominus morbo corripuntur, ideoque ad endemicum influxum atmosphaerae refugiendum est, ut aptum momentum inveniamus ad morbi evolutionem in uno eodemque loco semper restrictam explicandam. Causae endemice grassantis trismi in variis regionibus ex modificatione, et varietate loci sunt quidem variae, attamen ubique fere inter se concordant:



Celeberrimus Petrus Frank, causas trismi Tergesti endemice regnantis inquirens, sequentia protulit: » Sed quae Tergestum, Civitatem soli meridiano minus, quam aliae Italiae magis meridionales partes expositam huius mali occasio premeret, hoc quidem indicatu nobis perdifficile visum est. Non interim latet, hanc urbem, quam nos ipsi quondam visitavimus, tum altioris ad radicem montis, tum profundiori ad maris adriatici ripas, et angustiori territorio exstructam, nunc ab aquilonaris venti turbinibus gelidissimis perflari ac vix non rigescere, nunc vero a solis meridiani radiis, tum a vicinis saxis, tum ipsius tranquilli maris a speculo reflexis, vix non exuri, maximis vero ac subitaneis atmosphaerae mutationibus exponi. A solo quidem aëre maritimo trismum endemicum sub coelo calido produci minus est probabile, sed cum a tergo saxoso, fere igneo, et a splendente maris unda solis radii unum quasi in punctum concentrantur aërisque simul magnae vicissitudines conspirant, nil nobis ad tetanum vel spasmus maxillae in tenerrima nascentis hominis aetate producendum deesse videtur ».



*Prognosis.*

Medici celeberrimi in statuenda prognosi hujus morbi infausta concordant; nam morbo evoluto vix quidquam de felici exitu sperare licet. Paucis enim casibus exceptis ubi medicis concessum fuit, prolem matribus reddere, morbus revera vix arti cedens est. Omni tempore tentata sunt diversissima remedia, sed prognosis eadem semper mansit. Adsunt attamen momenta plura, quae nobis aliter praenunciare sinunt. Morbus in climate calidiori decursum rapidiorem tenet, atque majorem vehementiam acquirit; infaustior inde prognosis. Ideo videmus, quod medici in Guyenna, in Insula s. Domingo et Hispania praxim exercentes de centenis, quos observarunt casibus, nec infantem sanatum meminere, quum apud nos medicus vix datur, qui non casu felici successu coronato gloriatur. *Constitutio infantis* prognosim variat. Infans debilior, macilentus, gracilior, sensilior morbo correptus, certissime non evadit; hinc infantibus partu praemature in lucem editis trismus certe lethalis: (medici utcumque de hoc morbo periti hanc observationem fecerunt). *Causa occasionalis* diversa prognosim quoque diversam reddit. Trismus ex causa



gastrica ortus, debita therapia adhibita, permittit spem aliquam fovere; fors ideo methodus antigastrica, a nonnullis medicis contra hunc morbum in genere plurimum laudatur. Morbus a refrigerio accitus, ferme semper lethalis est, et quamquam decursum longiorem habere consuescat, tamen semper in pejus ruens morte ut plurimum terminatur. *Vulnerationibus, et inflammationibus* diversarum partium abactis saepenumero apud nos, et trismus abigitur; quod vero in regionibus calidioribus nequaquam fit. Vulneribus levis-  
simis absque signis inflammationis accidentibus, trismus contingit post paucas horas lethalis; idem fit in inflammationibus, in quibus vix suppurationis malae indolis signa conspiciantur. Prognosim quoque mutat *constitutio endemica* praesens, quoad durationem, et gradum magnam ponens differentiam. Sic Cayenna, et s. Domingo Trismus endemicus brevissimus, atque vix evolutus rapide ad summam vehementiam increscit. Morbus in Hispaniae regionibus, et in Insula Minorica gradu, et duratione Americano parum cedit, quamvis clima sit differens. In aliis Europae regionibus endemicus, vel nonnumquam epidemicus, longiorem decursum peragit, at sensim, sensimque symptomatibus incrementibus octava die aut serius tandem



lethalis fit. *Symptomata*, et *decursus* etiam prognosim distinguunt. Colli rigiditas, ejectio fluidorum per nares, spasmus extremitatum accedens, emprosthotonos, respirationis difficultas increscens, et spastica pectoris contractio, alvi summe foetentis depositio, virium lapsus ad signa fere ominosa pertinent. Ea vero, quae aliquam spem fovere permittunt, sunt: contractio musculorum faciei non magna, et facies inde non multum permutata, non plena maxillae immobilitas, deglutitio nondum penitus cohibita, spasmus musculorum non ultra faciem progrediens, alvus larga non adeo foetens, sudor largus, vires nondum dejectae. Sudoris profusio in trismo a refrigerio adducto, et exanthema vesiculare per cutem prorumpens, qua signa utcumque optata considerantur; sicuti et vomitus in trismo ex causa gastrica orto. *Decursus*, uti antea diximus, prognosim etiam mutat. Morbo celerrime incrementi vix quidquam opponere valemus; subito est mortalis; morbo longiori tempore durante in infante maturo, robusto, et viribus nondum nimis debilitatis, quidquam sperare licet. *Conditiones externae* infantis suam quoque symbolam praebent in statuenda prognosi. Ad has praecipue pertinent; aëris atmosphaerici qualitas, cura medici et regimen aegri. Aër impurus, non



liber, effluviis animalibus imbutus, nimis calidus, id quod saepissime in Brephotrophiis videre facile est, certe sistit momentum quo morbus non tantum in celeri suo decursu non cohibetur, imo adjuvatur. Hinc in Brephotrophiis major mortalitas, vehementiaque major quam alibi; et si false nonnulli morbi originem in aëre corrupto Brephotrophiorum tantummodo ponunt, haud tamen est inficiandum, quod morbum jam evolutum foveat ejusque lethalityatem adaugeat. Cura medici et regimen neonati tandem, suum quoque influxum in stabilienda prognosi ponunt. Ad morbum tam periculosum impugnandum certe summam medicus operam impendat necesse est, attamen sine efficacibus medicaminibus, atque magna infantis cura, nil efficiet. Sed neminem latet, quaenam difficultates certis in casibus his duobus momentis obveniant. Infanti a parentibus pauperibus nato medicus praescribit efficacissima remedia, nec tamen valet eorum praetium imminuere; (jam magnum parentum pondus); infans indiget cura die noctuque; tandem parentes post magnum pecuniae, et laborum dispendium omnia frustra adhibita observantes, de medico ac medicina diffidunt; interim plebs morbum insanabilem existimans de sanitate infantibus reddenda nulla solitudine premi-



tur. Hic modus cogitandi revera eo invaluit in pluribus regionibus, ut parentes nil fere adhibeant contra morbum, quem per traditionem quasi pro insanabili tenent. Et si medico, munere suo debite fungenti, talis morbus apud homines istiusmodi conditionis occurrit, non solum contra saevitiem morbi, sed et contra incuriam parentum medicus ipse pugnare debet, qui gratiam illis illatam non agnoscunt. Quid in tali casu de prognosi dicendum sit, sponte effluit.

### *Therapia.*

Quum trismus neonatorum sit morbus gravissimus, periculosissimus, et saepissime omnibus artis medicae conatibus vix cedens, certe principalis indicatio eo dirigenda erit, ut morbi genesis, quantum fieri potest, praecaveatur. Erit ergo therapia prophylactica in hoc morbo summopere aestimanda. Therapia curativa omni tempore diversissimis remediis tentata, sed rarissime felici successu coronata, morbo evoluto instituitur.

### *Prophylaxis.*

Omnium morborum prophylaxis in removendis sedulo causis occasionalibus, et in



tollenda dispositione ad morbum consistit. Sed quum ex antea dictis eluceat, quod infantes jam dispositione connata in lucem edantur, quae tantum per tempus tolli potest, hanc abigere nec in potestate medici versatur. Eo magis ejus attentio in abigendis causis occasionalibus dirigenda erit. Quum constet morbum saepius ex refrigerio oriri certe medicus matres cautas reddere debet de influxu, utplurimum lethali, refrigerii in neonatis, ille praecipue qui praxim exercet ubi endemice Trismus apparet, et ex minima jam causa agente evolvitur. Hinc custodiantur neonati in cubiculo amplo, aëre puro repleto, moderate calido, aëri perflanti non exposito, foveantur tantum calore lecti moderato, sint stragulis levioribus, et anni temporis convenientibus tecti; mundities summa servanda, et non infantes in lintheaminibus humidis per longum tempus derelinquendi; subito post partum non laventur aqua frigidiuscula, sed potius tepida. In Baptismatis sacramento celebrando, aqua benedicta non assumatur frigida, sed prius tepida reddatur. Quam saepe gignitur trismus ex sordibus gastricis in ventriculo haerentibus. Hinc medici primum officium, has leni modo evacuare, et ortum novarum impedire. Prima indicatio explenda haud erit nec emeticis, nec purgantibus, si-



cuti plures autores affirmant; sed leniter tantum solventibus, evacuationem absque debilitate producentibus; inter quae eminet, syrupus cichorei cum rheo, vel tinctura rhei aquosa, quae vel sola, vel in mixturis debita quantitate porrigitur. Ad ortum novarum sordium impediendum, medicus perpendat causas, quae eas produxerunt, praecipue lac matris, vel nutricis, quod saepissime qua causa unica sordium in infanto incusandum est; nam vel majori in copia quam par est infantibus lac praebent nutrices dum eos constringunt ad ubera sugenda, vel dum clamorem, qua solum signum famis considerantes hanc per suctionem mitigare student, aut lac est nimis pingue, aut spissum, vel aetati infantis non conveniens. Animi pathemata originem morbo praebere saepius visum est; hinc fugiat mater, vel nutrix quidquid ipsam in gravem perturbationem conjicere valeat. ( Melius si mater iracunda prolem non nutriat, nutrix vero iracunda potius subito abigatur; sin autem ira corripiebantur, lac praesens jam secretum artificiali suctione educant, et serius secretum infanti porrigant. ) Inflammatio umbilici, rudiori tractamine aut nimia constrictione producta, topice emollientibus tractetur; ad eam vero evitandam suadent nonnulli funicu-



lum ad quatuor pollicum distantiam ab umbilico resecare, et laxam deinde ligaturam commendant. Penitus prohibendus est abusus mulierum obstetricum neonatis digito frenulum linguae lacerandi, et si operatio quaedam necessaria videtur, a Chirurgo instituenda est. Nimia compressio totius corporis, et praecipue abdominis per fascias, evitanda, et tantum leviori gradu permittenda est. His debite observatis certe saepissime ortus morbi praecavetur, et eo magis si justum ex omni parte servetur regimen, quod praecipue ibi inculcandum puto, ubi major pars infantum omni anno hocce morbo pereunt.

Celeberrimus Petrus Frank matribus Tergestinis sequentia suadebat. Mulieribus illius civitatis praegnantibus, saltem gracilioribus, et quarum opes id genus auxilii concedunt, ut partum atque puerperium in loco magis elevato, aperto, et ab urbe marique distante absolverent, — quibus vero focum domesticum deserere non licet, ut illae saltem novem a puerperio diebus, prolem anxie a quovis refrigerio, aestivo quoque tempore tam facili, custodiant, ac ut lacte proprio eoque solo sub debita animi quiete, prolem nutrant, consilio censemus. „



*Cura.*

Therapia curativa morbi primo contra causas morbum excitantes dirigenda erit, hinc his amovendis quantum potest medicus studeat. Morbo vero evoluto magna nonnumquam invenitur difficultas, in medicaminibus infanti porrigendis, quum non tantum maxilla fortiter adtrahatur sed et deglutitio impediatur; hinc intervallis quibus haec remittunt, medicamina porrigenda, vel vero si durant, pharmaca validiora guttatim ore instillanda sunt. In trismo ex refrigerio enato restituenda est transpiratio cutanea per remedia diaphoretica tam interna, quam externa, uti per infusum florum sambuci, tartarum emeticum refracta dosi, nec non per balnea tepida; his remediis atque regimine adaequato nonnullis medicis concessum fuit aegros servare. Morbo ex causa gastrica proficiscenti emeticis, et purgantibus obviam venire debemus, et hoc in casu saepius cum felici eventu sub initio adhibita sunt tartarus emeticus, ipecacuanha, calomel, jalappa, clysmata ex infuso chamomillae cum melle et oleo. Quum vero permultae causae morbi evolutionem provocant, et has medicus si potest e medio auferre studeat. Sed quum persaepe causae pe-



nitus ignotae sint, vel in conditione aeris atmospherici inhaereant, quam amovere non possumus, medici ex diversis theoriis de natura morbi etiam diversa pharmaca illi convenientia praescribebant, inter quae antispastica, sopientia, et sic dicta methodus Stutziana merito hucusque invaluerunt. Inter remedia antispastica eminent moschus, saepius cum felici successu porrectus, laudes medicorum omnis aevi secum foerens. Praescribitur vel solus, vel cum opio junctus, forma liquida, cum mucilagine gummi arabicae in aquis aromaticis menthae, melissae, chamomillae suspensus. Sumuntur circiter grana tria moschi, quae in totidem aquae aromaticae unciis cum sufficiente quantitate mucilaginis gummi arabicae suspenduntur, atque omni dimidia hora cochlear parvum porrigitur. Castoreum eadem fere vi medicatrici, non tamen adeo intensa gaudet; a nonnullis medicis vero summopere laudatum, simili dosi et forma, quam moschus administratur. Camphora externe tantum cum oleo pingui in linimentum redacta parti adfectae illinitur. Ammonia pura liquida ejusque preparata, praecipue spiritus cornu cervi, et spiritus cornu cervi succinatus commendantur. Ammonia pura liquida tantum externe, aut sola, aut cum oleo in linimentum redacta, interne



saepius spiritus cornu cervi succinatus porrigitur ad drachmam semis in aquae aromaticae unciis tribus, de qua omni hora cochlear parvum sumitur, vel solus a quinque ad octo guttas ore instillatur. Aetheres qui indole sua volatili, atque stimulo nervis amico vires dejectas refocillant atque spasmos solvunt magno cum effectu a practicis adhibentur. Radix valerianae viribus antispasmodicis egregiis instructa, sicuti et flores chamomillae, herba mentae, melissae etc., in leviori morbi gradu sola sufficiunt. Sumuntur infusa ex plantis parata; frequentius vero eorum aquae destillatae, qua vehiculum remediorum efficaciorum, nonnunquam eorum tincturae cum remediis aliis copulantur, quae infantibus guttatim tantum ore instillantur.

Remedia narcotica ad trisimum evolutum debellandum a medicis laudantur; summa vero circumspectione est opus, quum nemini non notum sit, effectum facile deleterium ex abusu narcoticorum in organismo tam tenero sequi. Ad praecipua pertinet opium, a celeberrimis medicis in hoc morbo commendatum, a plurimis vero frustra tentatum. At tamen nullo meliori cognito ad hoc practici neoterici refugiant. Non praescribitur in substantia, sed potius sub forma tincturae vel simplicis vel crocatae aliis quoque remediis



stimulantibus nuptae, ex. gratia infuso florum aurantiorum, valerianae, chamomillae. Dosis specialis sit ab initio gutta una, et nec ultra tres ascendat. Ob effectum opii facile excedentem, et infantibus saepe damnosum nonnulli praeferunt extractum hyosciami, cujus grana tria ad sex solvunt in unciis tribus aquae aromaticae atque omni hora cochlear parvum exhibendum praecipiunt, vel grana sex in uncia tincturae antispasticae atque deinde omni hora guttas decem ori instillant. Belladonnae recentiori tempore praeconia multa in hac specie spasmi tributa fuere; haecque propinatur tam interne, quam externe: interne extractum, externe lotiones et cataplasmata. Aqua laurocerasi, et acidum hydrocyanicum a pluribus medicis diverso cum successu tentabantur; experimenta ultro instituenda forsitan nos magis de virtute benefica horum remediorum edocebunt.

Methodus a celeberrimo Stutzio in trismo neonatorum commendata est sequens. Omni secunda hora infans sumat decem usque ad viginti guttas carbonatis lixivae alcalini soluti in infuso quodam aromatico, uti chamomillae, valerianae, florum aurantii. Hora intermedia sumat tres usque ad sex guttas tincturae opii simplicis; clysmata ex infuso chamomillae et viginti aut viginti quinque



guttis carbonatis lixivae alcalini soluti parata, bis per diem injiciantur, atque balnea calida cum drachma lixivae causticae, aut drachmis duabus lixivae carbonatis, ter quaterve per diem adhibeantur. Methodus hujusmodi in tetano, et trismo jam a longo tempore merito invaluit.

Remedia externa in hoc morbi genere summi sunt valoris atque actionem internorum multum adjuvant; saepe vero ob nimiam constrictionem maxillae haec sola tantum adhiberi possunt. Ad haec pertinent clysmata, balnea, inunctiones, epispastica, et galvanismus.

Clysmata sunt remedia in hoc morbo efficacissima, omni scopo inservientia. Scopo alvum aperiendi adhibentur clysmata simplicia paucis oleo et melle mixta: quae necessaria credimus quoties sordes gastricae per alvum sint evacuandae vel torpor canalus intestinalis a majori narcoticorum usu inductus, sit dissipandus. Clysmata antispastica ex infuso valerianae, chamomillae, millefolii, foliorum aurantii parantur, vel sola vel additis gummi assae foetidae, castoreo, moscho, secundum gradum morbi. Saepissime clysmatibus antispasticis remedia sapientia adjunguntur, summa vero cum cautela adhibenda sunt; nam receptivitas pro substantiis narcoticis tractus



intestinalis inferioris vix superiori cedit; praecipue opii dosis non excedat.

Balnea tam calida quam frigida maxima cum utilitate a medicis prescribebantur. Balnea calida vel sunt simplicia vel aromatica, vel kalina. Quisque a balneorum calidorum usu magnum levamen subitaneum in hac morbi specie sperare potest. Nam sub balneo spasmi faciei solvuntur, maxilla mobilior redditur, levis aequabilisque transpiratio cutis atque morborum, qui antea erat, caloris imminutio accedit. Immergantur infantes in balneis per quadrantem usque ad dimidium horae ter quaterve per diem. Post balneum cavendum est, ne aer frigidus aut lintheamina frigida corpusculo infantis transpirantis admoveantur: hinc subito post balneum debita diligentia habenda est, ut infans celeriter siccatus lintheaminibus calefactis tegatur atque amoena corporis transpiratio sustentetur. Balnea calida spirituosissima, aromatica vel kalina efficaciora sunt quam simplicia, caute vero usurpanda, neque eorum virtus nimis acienda. Pro balneis spirituosissimis sumitur frequentissime vel vinum, vel spiritus vini, et pro aromaticis sic dictae species herbarum aromaticarum. Ad balnea kalina nonnulli medici praeferunt solutionem lixivae carbonicae solutioni lixivae causticae, nam praeter effe-



etum quem exserit mitiorem, cutis ruborem e balneo ex lixiva caustica parato non evitandum, multo minorem gignit. Pro balneo infantis drachma lixivae causticae, vel drachmae duo carbonatis lixivae sufficient. Balnea simplicia frigida ab Hippocrate jam in usum vocata nunc medici Angli rursum commendant. Revera qua remedium heroicum consideranda, ac veluti ultimum refugium habenda censeo. Rarius necessaria sunt balnea frigida per aliquod horae spatium continuata; potius super adfunditur corpori aqua frigida, atque infans cito siccatus lintheaminibus calefactis involutus ac bene tectus servandus est. Si balnea calida ob impedimenta quaecumque adhiberi non possunt, fomentationes ex iisdem substantiis confectae sufficiunt. Hinc infantuli lintheaminibus his substantiis imbutis obvolvantur. Inunctiones diversarum substantiarum nisi magnum, attamen momentaneum levamen afferunt, praecipue si inunctio fit secus musculos masseteres externos; cedit enim quandoque pro tempore maxillae motus, et deglutitio permittitur. Oleum pingue simplex communiter partibus rigidis contractisque illinitur, cui vel camphora, vel ammonia pura liquida, vel olea aetherea saepe admiscuntur. Scopo sedante conjungitur etiam cum



hyosciamo, aut opio. Praecipue commendatur inunctio ex axungia suilla cum opio ad processum mastoideum, et superiorem partem colli, atque adhibitis paulo post cataplasmatibus ex herba hyosciami, cicutae, malvae cum lacte paratis, frequenter relaxatio maxillae obtinetur. Nonnulli ad inunctiones partium rigidarum seligunt unguentum mercuriale cinereum sine, aut cum opio. Rubefacientia modo antagonistico spasmos solventia etiam a medicis adhibentur; abstinendum tamen est ab emplastro cantharidum, ob effectum vehementiorem, et in systemate urinifero facile nocuum: a sinapismis ex farina seminum sinapis cum dimidia aut tertia parte farinae secalinae paratis, a fermento panis cum aceto, ab armoracea omnino effectus desideratus haberi potest.

Multum nonnulli a galvanismo expectant, quamquam nondum successus ad eum adhibendum suadeant. Herder sequenti modo in infante novem dierum galvanismus periclitatus est. Infans mediante catenula, columnae voltaicae, irritabilitati hujus adaequatae, ita jungebatur, ut polus negativus maxillis admoveretur. Ab initio exponebatur electricitati liberae per maxillas mananti, serius leves proliciebantur scintillae. Mortui ad instar decumbens, catena galvanica clausa, in-



quietus reddebatur, caput elevare, aut circa singulos ictus dolorem exprimere coepit. Durante galvanismi adplicatione motus maxillae inferioris multo liberiores fieri videbantur, os facilius aperiebatur, et spes fausti eventus affulgebat, finita vero applicatione status pristinus rediit. Alii simplex balneum galvanicum proponunt; infans in balneo calido positus, cum conductoribus polaribus columnae voltaicae per epidermidem in contactum ponitur; vel receptaculis duobus aqua salita repletis, quorum unum cum polo positivo, alterum cum polo negativo columnae voltaicae nexum sit, manus infantis immittuntur. Experimenta cum magnetismo animali non penitus spernenda essent.

FINIS.



---

*THESES DEFENDENDAE.*

---

## I.

Rheum minime roborat.

## II.

Desideratur adhuc tutum signum ad distinguendum sanguinem hominis ab illo aliorum animantium.

## III.

Morborum diagnosis in infantibus difficillima.

## IV.

Inflammatiō, contra leges consuetudinis, receptivitatem erga stimulos consuetos adauget in partibus quae ea laborant.

## V.

Posthumorum inflammationis in dynamica, et organica distinctio sanae pathologiae ad-versatur.

## VI.

Theoriarum multitudo presenti tempore in Medicina existentium, hanc potius quam rectam et rationalem, imperfectam ac imaginariam reddunt.

## VII.

Substantiae absolute venenosae in natura non dantur.